



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae
Historiae Decas Prima**

Martini, Martino

Monachii, 1658

Augustissimo Imperatori Leopoldo I. Hungariæ Bohemiaæ Regi Archiduci
Austriæ &c. Felicitatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

EPISTOLA



AUGUSTISSIMO IMPERATORI
LEOPOLDO I.

Hungariæ ac Bohemiæ Regi
Archiduci Austriæ &c.

FELICITATEM.

AUGUSTISSIMO Parenti FERDINANDO III. destinata olim à Patre Martino Martinio Sinensis Historia, Augustissimo Filio LEOPOLDO I. hereditario quodam jure debetur: qui uti ditionum ac multò magis virtutum paternarum heres, Romani quoque Imperij gubernacula felicibus auspicijs nuper admodum suscepit; ita neque hac et sitenui accessione debebat esse maximo Parente inferior. Ac videbatur aptè omnino congruere, ut MAESTATI VESTRAE, quæ prima LEOPOLDI nomine Austriacæ familie Majestatem nobilitavit, primum quoque Sinensis Historiæ, antehac Europæis, aut verius orbi universo ignotæ, opus inscriberetur. De quâ gente cum Domus Austriaca plane tota, tum

EPISTOLA

ta, tum Augustissimus Parens eximie fuit meritus. Neque ad adstruendum in eâ juvandâ studium F E R-
D I N A N D I III adductis aliunde testibus est o-
pus: ipse P. Martinus, cùm ante annos quatuor è Sinensi
Regno in Europam Procurator appulisset, præter innu-
mera liberalissimæ pietatis documenta maximorum be-
neficiorum conscius, nuper ex Europâ Austriacæ atque
imprimis Ferdinandeæ munificentia secum pignus extulit,
dona inquam, Imperatore ac Calo digna, quibus So-
cetas nostra, pro Sinensis populi sempiternâ salute illic
excubans, hac velut escâ gentem illam ad veri Numinis
animique cultum pelliceret. Hoc ingenio Austriaca bene-
ficientia vsa, dum in Europâ imperio & armis regnare-
net, in extremâ Asia beneficijs dominatur, ac Romanam
fidem ultra Romani Imperij fines latissime propagat.
Maximum sane MAESTATI VESTRAE
decus accederet; si (ut gloriosum est, fiduciarijs Regulis
abundare) innumeros ad æternâ cæli regna promotos olim
Sinas videbit, suam salutem ac æternitatis regnum post
diuinas causas in humanis Austriacæ ac LEOPOL-
DI I. munificentia debere; quam nostrum quoque
Collegium non ita pridem expertum est singularem: ut
post innumeros grati animi titulos nouas causas habeat,
hoc tenuemunus, quod ex Orbe altero allatum P. Mar-
tinus nobis concredidit, MAESTATI VESTRAE dicandi.

DEVS

DEDICATORIA.

DE U S ter Opt. Max. MAIE STATE M
VE STRA M Orbi Christiano diutissimè sospitem ac
felicem servetn : quod cum Collegio nstro Societas vni-
versa, & Sina omnis Catholica exixissimè precatur : ut
MAIE STAS VE STRA Parentis Augustissimi
virtutes ac laudes assecuta , vitæ regnique feliciter ad-
ministrati diuturnitate longissimè antecedat . Viuat
LEOPOLDUS I. longaque serie hoc Augustum
nomen ad felicem posteritatem per multos numeros ac
sacula transmittat : donec post Albertos, Carolos, Fri-
dericos, Ferdinandos, Leopoldos, Maximilianos, Ma-
thias, Rudolphos, quod ex Alphabeto superest , Austria-
cis nominibus faustissimâ successione serò tandem expli-
atur. Ita precatur

MAIESTATI VESTRAE

Kal. Nov. 1658.

Devotissimum Collegium
Monacense S. I.